

III.

NEOVIDENSIS

Nro 65. (Neovidensis Nro 88.)

*Status, et belli consiliarius, ac Minister Struenseus, annorum 70 Berolini ex hac vita decessit 17. Oct. Tribus Prussiae Regibus fidelem, ac diligentem navavit operam. Hoc ad coetum vita finctorum descendente, germanus ejus frater Comes Struensee ex Historia Danica notissimus, sequentem mittit Dialogum:*

Elysium -- Meum. -- Die Martis 13. Nov. 1804. (Neov. 30. Oct.)

*Post tantas fœderationes, experientia usque ad inanitatem, & damnum emergens tritas, hoc unicum documentum patet, plus pace armata, quam bello perfido obtineri posse.*

Colloquentes:

*Maria Theresia Imperatrix. Catharina II. Imperatrix.*

*Catharina.*

**N**on possum satis mirari illam pacem, atque animi tranquillitatem, quæ etiam hic in Vestra Majestate elucet. Profecto provenit illa ex intimo sensu, quem ingenuum, ac probum animum nominamus. Semper sibi constare, non perturbari rebus adversis, excellentem denotat virtutem.

*Theresia.* Vestra Majestas probe perspe-

ſum habet, quanti hortet invaſerint meas terrenas Poſſeſſiones ſtatim a principio mei regiminis, quin ullum offenderim. Ea propter nullius mihi culpæ conſcia, & de juſtitia cauſæ convicta ſprevi omnia undequaque impendentia pericula.

*Catharina.* Ad tanta effectui danda neceſſaria eſt ſingularis morum elegantia, quam hæreditariam eſſe Domui Auſtriacæ cogor confiteri. Non mediocri afficior admiratione, cum perpendo, eandem moralitatem etiam in rebus politicis fuiſſe a Veſtra Majeſtate ſanctiſſime obſervatam. Nullum unquam bello offenſivo impetiit, ſemper laceſſita ad vim, & arma descendit. Ipſe Joſephus II. Imperator alias non ſegnè ab hoc principio ſe non ſivit dimoveri. Hoc forte in tranſverſum acta Politica perperam interpretaretur, at habita matura deliberatione, & ſepoſitis affectibus, uti fit in campis elyſiis, non poteſt, niſi excellentis virtutis nomine inſigniri. Id conatu omni, ſtudioque agant homines, ut juſtitiam ſincera fide promotam velint.

*Therēſia.* Veſtra Majeſtas rationem meæ tranquillitatis optimæ aſſecuta eſt; & tamen (pudet proloqui) nullos veros potui ibidem nanciſci amicos. Nescio an ex invidia, an ex alio mihi ignoto motivo, ſed fides integritati, honeſtati que meæ Domus non eſt habita. Quamvis Monarchiam noſtram magis hæreditate, quam vi, & armis obtinuerimus, quamvis nemini injuriam intulerimus,

quamvis  
ſemper  
tia, et  
ſuram

Ca  
vocare  
tem in

Th  
materia  
O quam  
meum

Ca  
ſit hac

Th

mus or  
tiam p  
majore

foedus  
politic

reponere  
dolore

morari  
amiſſis

sibi ip  
mihi p

Ca  
rum v

illorum  
in quib

osa fo  
tem, t

non re  
ro ſui

quamvis neminem Provincia spoliaverimus, semper tamen accusabamur de aucta potentia, etiam tunc, dum regnorum fecimus jacturam.

*Catharina.* Ausim hic in memoriam revocare, inter nos amicitiam, & belli societatem intercesisse?

*Theresia.* Vestra Majestas suggerit mihi materiam, quam invita attingo. Fœdera! O quanta ad hoc prolatum verbum animum meum subeunt detrimenta!

*Catharina.* Valde aveo scire, quid possit hac de re in medium adduci.

*Theresia.* Nostra Fœdera! Si mea Domus oculos convertat in præterita, vel etiam proxime elapsa tempora, nullam reperit majorem potentiam, cum qua non pepigisset fœdus bellicum, sed absque omni utilitate politica. Cogitur monumenta historiarum reponere, nam non potest sine intimo animi dolore flebilibus factis ibidem contentis immorari; Semper in fine legit conclusos de amissis suis Provinciis pacis articulos, ut sibi ipsi debeat formare quæstionem: Quid mihi profuerunt amici?

*Catharina.* Sæpe Regna ob situm locorum veniunt in periculum; Sæpe horum, aut illorum politicis dissensionibus implicantur, in quibus circumstantiis etiam parum fructuosa fœdera momentaneam præstant utilitatem, tametsi deinde eventus doceat, eadem non respondere factis promissis; Sæpenumero sui conservatio est æque conducibilis, imo

forte plus adfert commodi, quam novarum Provinciarum acquisitio. Hunc opinione mea statum sæpius tenebat dominatio Austriaca.

*Theresia.* Utique ea erat frequenter ejus conditio. Si nihil unquam obtinisset auxilio sociorum, ferendum foret; Ast semper cum damno excedere ex præliis, semper novis bellis exponi, acsi unum finitum alterius initia continuisset, tristissimi temporis reducunt recordationem, quæ in historia meæ Domus utramque facit paginam.

*Catharina.* Mali hujus causa videtur re ipsa in geographico Ditionum Austriacarum situ latere; Quocunque enim ex sua Regia prospiciat Imperans Austriacus, in omnibus 4. mundi plagis deprehendit majorem quamdam potentiam, a qua impeti potest. Noxio idmodi prospectu caret Russia, caret Gallia. Mei vicini, polus arcticus, & errabundi Tibetenses Tartari nunquam possunt Russico Imperio periculosi evadere; Tergum, & sinistrum latus nobis est liberum, adeoque totam nostram vim possumus contra meridiem exerere. Galliam autem, quæ ab occidente, & meridie mari cingitur, Hispaniam fœderatam habet, cujus nutui obsequitur Hollandia, nihil impedit, quin possit Italiam, & Germaniam metu politico percillere, iisque suas vires minitendo opponere. Accedit & id, quod Provinciæ Austriacæ nuptiis obtentæ non fuerint cum præcipua Ditione connexæ; longo locorum intervallo distabat Belgium, veluti quædam Colonia, quæ incur-

sionib  
adeo  
Angli  
suis r  
ibiden  
si, G  
circu  
sola  
tum  
quær  
parta

rator  
Ille  
poss  
quo  
quan  
fæde  
lesia  
mar  
sti  
pep  
tinu  
flav  
bell  
iner  
pag  
iniv  
cio  
scr  
per  
Ru  
am

sionibus potentissimorum Europæ Regnorum adeo erat exposita, ut in quolibet bello, jam Angli, dum a partibus Austriæ non steterant, suis revolutionibus; jam Galli armis omnia ibidem perturbaverint. Turcæ, Russi, Prussii, Galli, 4. præcipuæ in Europa potentia circumdant Austriam, in quorum medio illa sola consistit. Non est ergo mirum, si tantum aggressiones a se amoliat, & fœdera quærat, licet præter conservationem rerum partarum nihil consequatur.

*Theresia.* Pater meus Carolus VI. Imperator inivit societatem bellicam cum Anglia. Ille fecit jacturam Hispaniæ, hæc venit in possessionem præsidii Gibraltar. In bello, quo me a morte Patris mei tam inimici, quam amici adorsi sunt, propter languentem fœderatæ Angliæ operam dimitendu erat Silesia, Anglicæ autem Classes varias trans mare suæ potestati subjecere insulas. Tristi docta experientia mutavi systema; fœdus pepigi cum Gallia, septem integris annis continuavi bellum, quod Gentes maritimæ conflaverant, ut tandem status, qui erat ante bellum, redintegraretur. Sociis meis nunquam inerat seria mens, ut ego imperii fines propagarem. Filius meus Josephus II. aliam inivit viam, totus in eo erat, ut inter socios Russiæ, amicosque pacto fœderis adscriberetur. Ille terribili apparatu bellico persuasit Turcis, ut Chersonesum Tauricam Russis tradiderint: Videbatur omnem suam amplitudinem, & vires Vestræ Majestati

complacendi causa impendisse; De fati ultimi belli Turcici nullum restat dubium: Russia retinuit Otsakoviam, Belgradum Austria restituit.

*Catharina.* Infaustæ connexiones, & rerum adjuncta.

*Theresia.* Indulgeat Vestra Majestas, ut loquentur in interruptam. Qui meam Domum cupiditatis augendi imperium ream faciunt, sunt malevoli Politici, utuntur argumentis ex studio partium petitis, usum rerum confundunt; ut genuinum depromatur judicium, oportet experientiam conjungere cum Historia. Multa hic possem in rem meam adferre, sufficiat illud dixisse: Fœderati meæ Domus semper aliquid emolumentum reportarunt, meæ autem res admodum accisæ sunt.

*Catharina.* Situi geographico regnorum, ut jam supra commemoravi, hoc adscribendum,

*Theresia.* Idem nobis accidit orta revolutione Gallica. Assumamus, ab ea, uti in progressu ejus satis clare apparebat, imminuisse omnibus imperiis interitum, facileque potuisse in omnibus Regnis animos concitari ad seditionem, ex hac consideratione fatendum est, expeditionem adversus eam fuisse laudabilem conatum. In hoc sensu mea Domus societatem armorum sanxit cum omnibus Imperantibus, cum ipso etiam Prussiarum Rege, & quod plus est, suum exercitum Prussico Duci regendum comisit. Ad eandem societatem pertinebat tunc etiam Vestra Ma-

jestas,  
minatio  
bellum  
post so  
mea D  
belli m  
buerit.  
cessario  
Majesta  
vas pro  
dem e  
Hollan  
res hab  
exercit  
tamen  
7 insu  
Imperi  
ti esse  
sam d

C  
tamen  
inven  
ge so  
tur sa  
perati  
salva  
xemb  
sæpiu  
do E  
simul  
li for  
sui v  
derat

jestas, quæ sæpe inquietos illos gravi comminatione ad officium revocavit. Tandem bellum majore cœpit geri fervore; Socius post socium disparuit ita, ut ad extremum mea Domus sola suis copiis totam Gallicam belli molem in continente reprimendam haberit. Hanc discordantem concordiam necessario consecuta fuisset pax, nisi Vestræ Majestatis filius Paulus I. agente Anglia novas promisisset suppetias. Et reipsa datam fidem exolvit, misit legiones in Italiam, & Hollandiam, sed adversum voluntati exitum res habuit; Domum ergo revocavit fessum exercitum, Austriam reliquit iterum solam; & tamen hoc facto obtinuit tutelam Reipublicæ 7 insularum, effectusque est novæ Germanici Imperii constitutionis sponsor. Hæc ego tanti esse momenti existimo, quanti, si gloriosam de hostibus victoriam retulisset.

*Catharina.* Hæc licet ita se habeant, ego tamen amplam Vestræ Majestati gratulandi invenio materiam. Provinciæ Austriacæ longe solidius nactæ sunt firmamentum. Dantur sæpe politici scopuli, qui levi negotio superati, totam commovent rempublicam, ut salva conservetur. Tales scopuli erant: Luxemburgum, & Belgium. Nolo propugnare sæpius jam propositum thema de commutando Belgio. Quod in bello Bavarico ambo simul non potuimus, effecit modo infelix belli fortuna. Belgium, minimum in medietate sui valoris permutatum est, eoque in considerationem sumto, quod hic dimidius Belgii

valor reliquis Ditionibus adiaceat, peræqua proportione plus est obtentum. Hac ratione Status Austriacus majoribus, magisque conjunctis pollet viribus; nec tam multis, nec tam frequentibus; uti prius, exponitur bellis; Causæ dissensionum sublatae sunt; Geographica ejus positio est paci convenientissima, & ad dignitatem conciliandæ pacificationis provecta; Antiquæ est fidei, cui, quemadmodum monumenta historiarum testantur, omnia possunt tuto committi; Tanta amplitudine est prædita, atque internis viribus, ut bello fatigatis extraneis, suam interpellationem valeat egregie armare. Talis potentia, quæ inter diversas gentes belligerantes ad conservandum æquilibrium quivisset efficaci conatu suas vires, & honestatem interponere, videtur hæcenus Europæ defuisse.

*Theresia.* Majestati Vestræ pro his benignis de mea familia factis animadversionibus gratias ago maximas. Si noster conatus politicum mundum inde a sæculis gravius affecit, si deinde tamen progressu temporis de nostra politica moralitate edoctus resipuit, plus quam satis est, ut more apud superos, hic quoque jucundissima perfruar tranquillitate. Pro gloria meæ Domus in omnium nostrarum Provinciarum finibus sesquipedalibus literis inscribatur: *Honestum du-ut in sæcula.* Vestra Majestas me hodie suo sermone inopinantem suaviter recreavit, eapropter debita gratitudine maneo devincta.

N H

Secret

Hymen

Elysium

Fest  
vo cer  
δ. No  
me e  
bens  
perar  
morib  
me l  
venu  
ment  
ra,  
quæ  
re.  
tio r

tates  
vive  
tior,